







DISSERTATIO THEOLOGICA 8.

*Contra*

CALUMNIAM

Calvino à Bellarmino & Pontificiis

impactam, quasi Deum Authorem peccati  
faceret, vel id ex ejus doctrina de Providentia Dei  
necessariò sequeretur.

*Quam*

Θεῷ σὺν παλάμῃ

Sub clypeo

*Viri Venerandi & Excellentissimi*

D. PETRI WERENFELSII.

SS. Theol. Doct. & N. T. in perantiqua Rauraco-  
rum Academia Professoris Celeberrimi, Ecclesiæque  
Antistitis Vigilantissimi,

*Publicè tuebatur*


A U T H O R

ANTONIUS PHILIPPUS CREGUTUS,

Neo-Hanovicus S. M. C.

Ad D. 14. Julij Anno M D C C I I.

Loco horisque consuetis.



---

B A S I L E Æ,

Ex Officina Typographica J. JACOBI BATTIERI

8

D I S S E R T A T I O T H E O L O G I C A

C A L U M N I A M

IN T H E O L O G I A & P O L I T I C A

DE P R I N C I P I O S U A D E A N T I Q U A

U N D A N T I Q U A P R O F E S S O R I A

U N D A N T I Q U A P R O F E S S O R I A

D I S S E R T A T I O N I S

SS. THEOL. DOCT. & N. T. IN PRINCIPALIA

ANTONII WERRENFELSI

IN ACADEMIA PROTECTORIA

ANTONII WERRENFELSI

ANTONII WERRENFELSI

ANTONII WERRENFELSI

ANTONII WERRENFELSI

ANTONII WERRENFELSI

ANTONII WERRENFELSI



*Estote sancti, quia ego Sanctus sum.*

Hæc est ipsissima Dei vox, quæ jam tempore Moſis ſub Veteri Teſtamento fuit audita; Levit. Cap. XI. v. 44.

*Ego Jehova ſum Deus veſter, igitur ſanctificetis vos, & ſitis ſancti, quia ego Sanctus ſum.* Et nunc ſub Novo Teſtamento de novo reſonat, 1. Pet. Cap. I. v. 15, 16.

*Sicut is qui vos vocavit Sanctus eſt, ipſi quoque ſancti in omni converſatione reddamini. Pro-*

*pterea enim ſcriptum eſt: Estote ſancti, quia ego Sanctus ſum.* Si noſtra Religio nos doceret, hominem peccati, inſtar Dei adorare, ſupponendo, illum hiſce in terris Dei locum occupare; Si nos doceret (ut Pontificiorum docet Religio) hominem titulo Sanctitatis, quæ eſt eſſentiale Dei attributum, atque adeo Deo ſoli illi competit, honorare; Fateor, anſam daret ſufficientiſſimam, illam non modo culpandi, ſed & dictu horribilis illius hæreſeos, quæ ſuâ doctrinâ in Deum ipſum ſanctiſſimum ac puriſſimum illud Ens horrendam blaſphemiam congerit, & eum (non obſtante illâ Sanctitate, quam ſibi in verbo ſuo paſſim attribuit) peccati facit Authorem, accuſandi. Etiamſi enim plurimi Pontificiorum Papæ inſallibilitatem nervis omnibus impenſis defendere conentur; tamen impeccabilitas non eſt privilegium, quod hucusque ipſi adſcribere auſi fuerint.

Sub quonam autem prætextu poſſunt nobis imputare noſtri Adverſarij hæreſin tam longè à corde noſtro remotam? Verum eſt in Sacro Codice expreſſiones reperiri, quibus Reformatæ Religionis Doctores utuntur, quæ per analogiam

giam fidei explicari debent: Et cum nostri Doctores ad expositionem materiae de peccato illas expressiones adhibent, Contrariae Religionis Fautores illis interpretationem malignam ac perversam affingunt, dicentes: Nos quidem in hac materia cum Scriptura loqui; sed res in illa contentas nos eo modo non intelligere, quo in sacris literis intelligi debeant, imò nos Scripturae Sacrae dare sensum planè contrarium.

Ut rem brevius clariùsque exprimam; Quaecunque etiam sint ea, quae in sacris literis de peccato legimus, Pontificij volunt, ut omnia exponantur, de nuda quadam & otiosa permissione, quae ad ulteriorem providentiam Dei se non extendat. Sed nostri Doctores ex Scriptura melius edocti plus hinc animadvertunt, quam nudam & otiosam permissionem. Haec ipsorum sententia, pessimè coloratur & exaggeratur ab Adversariis nostris, qui dicunt à Spiritu mendacij & calumniae moti, Deum, secundum Doctrinam Calvinii, Viri illius in Opere reformationis meritissimi & piissimi, peccatum non solum permittere, verum & illud quia tale velle, imperare, approbare & svadere, ut *causam ethicam*; simul & ut *causam physicam* hominem internè ad illud impellere, imò ipsi illud inspirare, aut infundere, & tandem illud operari & efficienter producere, atque adeò illum ipsum peccati esse Authorem; quae horrenda in Deum esset blasphemia, quaeque impia & detestanda olim fuit opinio Manichaeorum, Simonianorum & Priscillianistarum, qui peccati causalitatem in Deum transcribebant, quam impietatem quoque sequuntur hodierni Libertini, & peccatores facillimè arripiunt ad excusanda scelera sua. Hoc verò impossibile est, quia implicat. Deus enim peccata in decalogo expressissimè prohibet: Severissimè ea odit, unde Deus dicitur *nolle iniquitatem*, Ps. V. v. 5, 6, 7. & Ps. XLV. v. 8. ita illam detestari, ut eam ferre non possit, *Oculi ejus sunt puriores, quam ut ferat malum*, Habac. Cap. I. v. 13. & Jac. Cap. I. v. 13. *Deus neminem tentat, nec potest à quoquam tentari*, scil. ad malum aut peccatum, quia est *κακῶν ἀνατρετής*, totus bonus, totus Sanctus, & sine crimine: Nullis malis cupiditatibus agitur, malo non delectatur, neque illud vult sive probat, non svadere illud potest, neque ad malum aliquem sollicitare aut impellere. Tale enim cum sanctissima ipsius natura nullo modo concordat. Diaboli hoc est, ut homines ad malum tentet, quoniam ipse insanà cupiditate malorum totus ardet, neque aliud quam mala

mala

mala spirat, desiderat, & perpetrari cupit. Denique Deus vi justitiæ suæ & *Sanctitatis* peccata punit gravissimè & justissimè, ergo non operatur, (Rom I. versùs finem) & multò minùs infundit, approbat, suadet, jubet, & efficienter producit. Exinde cum nihil quidquam vitij Deo possit attribui, nullà igitur ratione, nullo sensu *Causa* sive *Author* peccati appellari meretur, & pro tali multò minùs ergo haberi debet.

Ad refutandam hancce accusationem, istamque calumniam contundendam, sequentes theses circa materiam hanc intricatissimam & maximè arduam perpendendas proponimus.



### THESIS I.



Um Sacra Scriptura de peccato loquitur, & cum homines sive in Ecclesia, sive extra Ecclesiam de eo sermonem instituunt, ferè semper duæ ideæ in usu hujus vocis unitæ sunt, quarum una nobis proponit *Ens reale*; altera *defectum*, qui per accidens *realitati* istius *Entis* *Deus non producit defectum, qui in peccato occurrit.*

sele annectit. Cum igitur peccatum duas has res ambitu suo complectatur, simulque eas significet; sanà ratione dici non potest, naturæ Authorem non esse causam efficientem actionis & realitatis circa peccatum; sive entitatis, quæ occurrit in peccato, scilicet in *Concreto* sumto, id est, in unione & copulatione duarum harum idearum intellecto, de quibus modò mentionem fecimus. Peccatum enim in *Abstracto* & *suo formali* consideratum, prout est privatio sive absentia ejus rectitudinis & bonitatis, quæ enti debetur; & non convenientia cum lege Dei, nullam habet causam, & quæ causa ejus dicitur, per epitheton diminuens solet appellari *Causa deficiens*, sicque fit nullà vi propriè sic dictâ, nullà potentiâ, sed per impotentiam & defectum. Hinc rectè Augustinus lib. XII. de civitate Dei Cap. 7 *Nemo ergo querat efficientem causam mala voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa effectio est, sed defectio: deficere namque ab eo, quod summè est, ad id, quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Causas porrò defectionum istarum, cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle evenire tale est, ac si quisquam velit videre tenebras, vel audire silentium, quod tamen utrumque nobis no-*



rum est. Deus igitur *velle & operari* dicitur actionem vitiosam non quatenus est vitiosa, aut vitium, aut peccatum *Formaliter & in Abstracto*, quod est ipsa *ἀταξία* seu *ἀνομία* aberratio creaturæ, quæ à vero fine inter operandum aberrat, quæ malè operatur, & quæ cupiditatibus suis infervit; sed efficere dicitur Deus actionem hanc in concreto *materialiter* sumtam, quatenus est opus sive actio positiva, adeoque quatenus est reale quid, omnis autem actio positiva, cum sit *Ens*, & cum per consequens eâ ratione etiam per se sit bona, quia est *Ens*, Deum necessariò debet Authorem habere, quia ipse sit *Ens entium & rerum omnium* causa. Nam quòd homines *agant*, id habent à Deo omnis actionis & realitatis Authore: Ab eo dependent non modò quoad essentiam, & vitam, sed & quoad eorum motum, Actor. Cap XVII. §. 28. *In Deo sumus, & vivimus*, (inquit divus Paulus) & *movemur*, i. e. Ab eo creamur, conservamur, & in actionibus nostris dependemus. *Deus dat omnibus vitam, halitum, & omnia*, §. 25. Quòd verò in actione aberrant & malè agant, id habent à se; Cum peccatum tantum habeat causam deficientem, non autem efficientem, quæ causa deficiens non potest esse Deus, qui in agendo nunquam deficit, & inter operandum nunquam aberrat, quique in omni actione semper intendit bonum finem, propter quem agit, nempe *ipsius gloriam*. Sed homo, qui vitiosas reddit illas actiones per se bonas, in illis deficiendo, à bono illo fine aberrando, & cupiditatibus suis inferviendo, ut modò monuimus. Distinguendum est igitur hîc inter Opus & Actionem ipsam, quatenus aliquid reale est, & Malitiam quæ isti Operi & Actioni adhæret; Inter *Materiale* sive *subjectum* peccati, quod est ipsa Actio & Opus, & ejus *Formale & Accidens*, quod est ipsa Malitia: Verbo inter Rem & Accidens rei, i. e. inter actionem vitiosam, & vitium actionis. Deus est Author omnium motuum sive actionum humanarum, ut patet ex locis Scripturæ modò citatis. Sed non est Author vitiositatis, quæ actioni accidit ex corrupta hominis natura. Hinc non malè comparari solet peccator cum equo claudo, qui ad incedendum incitatur ab equisone. Quòd pergit ac incedit equus, ejus quidem causa est equiso; sed quòd inter incedendum claudicat, ejus causa hæret in solo defectu equi. Ita sanè homo peccator à Deo, *nutu ipsius arcano*, sine quo homines nihil efficere dicuntur, quidem excitatur ad operandum; quod homo operetur, id habet à Deo, omnis actionis & operis Authore, sed quòd malè operetur, & inter operan-

operan-

operandum quasi claudicet & peccet, id habet ex propria  
*u<sup>l</sup>ta<sup>l</sup>ia* ac naturali corruptione. Hinc eleganter dicit Deus  
 apud Hoseam Cap. XIII. v. 7. *Corruptio tua est, sed auxilium à*  
*Deo.* Peccatum igitur non est in *operatione* ipsa, sed in de-  
 fectu operationis, quare etiam non habet causam *efficientem*,  
 sed potius *deficientem*. Hâc occasione dicitur, peccatum  
 semper habitare in alieno fundo, quia cum à Deo non ve-  
 niat, & originem suam trahat, se illi rei alligat, quæ esse  
 suum à Deo habet, illi operi & actioni videlicet, quam Deus  
 operatur ac efficit, per accidens se adjungit: Est hedera, quæ  
 ad parietem se annectit, atque illum corrumpit ac destruit.  
 Hæc distinctio & hæc doctrina sunt res, quæ in Theologia  
 Romana tam clarè & nitidè docentur ac in nostra. His re-  
 bus autem positis, tam clarum est, quàm quod clarissimum,  
 dici sine manifesta contradictione non posse, Deum solum-  
 modò permittere peccatum permissione merè simplici, nisi  
 separatâ illâ *realitate*, quæ in peccato occurrit, ab eo quod  
 illi materiæ dat formam, i. e. formam, quæ illam vitiosam  
 reddit, illam deformat, & turpem facit.

## THESIS II.

Terminus ille *permittere* usque adeò est ambiguus, ut *Deus quoq<sup>3</sup>*  
 absolutè necessarium sit certo sensu negare, Deum unquam *non per-*  
 peccatum *mittere*: Si enim Deus peccatum *mitteret,*  
 quomodo peccator salvâ Dei justitiâ pœnæ subijci posset? *mittit pec-*  
 Datur igitur *missio,* quæ dat licentiam aliquid faciendi, *catum per-*  
 & ad hæc verba redigi potest: *Si libet, licet,* i. e. Tibi permis- *missione il-*  
 sum est rem talem facere, & illa *missio* rem illam tibi *la, quæ res*  
 reddit licitam. Talis *missio, ethica, seu moralis permissionis* *reddat li-*  
 nomine venit, quæ *juris est, per relaxationem, vel dispensationem* *citatis.*  
*legis,* quæ opponitur prohibitioni, quò sensu si *mitteret*  
 peccatum Deus, idem etiam approbaret tanquam licitum,  
 aut justum, quod implicat: Tantum enim abest, ut illud  
 permittat permissione morali, tanquam licitum & justum,  
 quæ & approbatio & complacentia dicitur, ut prohibeat,  
 improbet, odiò habeat, & puniat: Sed peccatum *permittit*  
*missione physica,* quæ est *facti, per non impeditionem,* quæ op-  
 ponitur *effectioni.* In hac permissione tamen providentia  
 non est otiosa, quia non solum decrevit peccatum permit-  
 tere sensu supradictò ab omni ævo: sed etiam in executio-  
 ne decreti concurrat, agit hîc quod bonum dirigit ad bonum  
 finem,

Unem; determinat, gradum sistit, ne ultra limites peccator  
 progrediatur; imò dat efficaciam, sine qua nullus successus;  
 ut videre est in Venditione Josephi, & Crucifixione Christi.  
 Unde fit, quòd una & eadem actio est bona & mala; *bona*  
 ex parte Dei, *mala* ex parte hominis, quia non est eadem  
 causa propter quam fit. Ambiguitas hujus termini ultrà  
 adhuc se extendit; ex. gr. Purus putus esset Epicureismus  
 certò sensu dicere, peccatum committi, Deo illud otiosè  
 permittente: Et hæc doctrina ex Epicureis placitis deprom-  
 pta, Dei providentiam omninò evertit, & penitùs destruit;  
 & Deum ἀπεργόντων, qui nec sua nec aliena curet, statuit.  
 Quò facit *axioma* illud Vet. Epicureorum ἀεὶ οὐρανὸν τὸ θεῶν  
 penitùs negantium, fortunæ & casui omnia transcriben-  
 tium, & Deum ipsum de mundo tollere satagentium: *Deus*  
*negotium neque in se habet, neque aliis exhibet.* Ita Latinè tradi-  
 dit Cicero Effatum, quod olim Græcè protulerat Epicurus,  
 de Deo loquens, Cic. lib. I. de natura Deorum. Eò sensu So-  
 ror Didonis illi dicit apud Virgilium:

*Scilicet is superis labor est, ea cura quietos  
 sollicitat.* Virg. Æneid. lib. IV.

Ac si diceret: Nil me movet, ut putem, Deos esse sollicitos  
 de eo, quod facies, sive non facies pro conservatione tui pu-  
 doris; quasi Dij humana curarent? Ita latè potest capi  
*permissio & permittendi* vocabulum, ut idem sit quod *non cura-*  
*re*, quando cura alicujus circa rem aliquam, quam sic cu-  
 rare posset, intervenire potest. Ita hòc sensu qualitates vi-  
 tiosæ, dum non curantur, possunt dici permitti. Ita per-  
 mittitur morbus & vitiosa dispositio ab eo, à quo non cura-  
 tur, cùm curari possit. Sic *permitto errare* eum, quem non  
 instituo, *permitto cadere*, quem non admoneo periculi, cùm  
 possim. Fatendum igitur est, peccati permissionem concipi  
 non debere ideâ permissionis merè simplicis, siquidem  
 hæc opinio locum non modò daret perversæ & pravæ illi  
 cogitationi; Deum, eò momento, quòd homo peccatum pa-  
 tret, oculos claudere, & somniò sopitum esse, sed & men-  
 ti illam reverâ injiceret. Si sufficeret hoc, cùm dicitur,  
 Deum non impedire hominem à peccati patratióne,  
 decrevisse id permittere merâ non impeditiõne; Deum  
 circa peccatum negativè sese habere, & otiosum esse. Ut  
 volebant olim Pelagiani veteres, & ut volunt hodiè eorum  
 sequaces, Bellarminus & Pontificij, qui pessimè permissio-  
 nem otiosam circa peccata Deo tribuunt, quâ homo sibi  
 relinquitur,

relinquitur, & rotatili suo arbitrio & indifferentiæ permittitur, cum Deus interim an peccatum fiat, aut non, non curet; sed tantum quasi in specula sedens eventum actionis permittæ spectet, eam nihilominus tamen in medio relinquens, non curet; quod cum summa ejus sapientia, omniscientia, & omnipotentia pugnat. Nam si Deus non curat actionem, quæ in peccato occurrit, id propterea fit, vel quia nescit, vel quia non potest, aut non vult: Sed quomodo hoc dici potest sine summa in Deum blasphemia, cum & sapientissimus sit, qui omnia & omnibus prospicit; & potentissimus, cui nihil est *ἀδύνατον*, & qui omnia vult, quæ faciunt ad manifestationem gloriæ suæ. Permissio ista igitur non est concipienda *negativè*, quasi esset mera *ἀπύλεια* seu cessatio voluntatis & Providentiæ in operibus malorum, quâ Deus quasi ex scientiæ mediæ specula spectaret tantum futuritionem actionis permittæ, quæque idè incerta, & ambigua relinqueretur, ut vult permissionis otiosæ & inertis ferculum recoquens, Bellarminus lib. II. de amiss. grat. Cap. 16. *Deus erga peccata non habet positive velle, aut nolle, sed negativè non velle.* Sed concipienda est *positive & affirmativè*, non simpliciter, ut Deus *non velit impedire* peccatum, quæ est otiosa negatio; sed ut *velit non impedire*, quæ efficax est affirmatio, ut permissio actum positivum voluntatis arcanae importet, quâ Deus statuit consultò & volens non impedire peccatum, licèt nolle dicatur quoad voluntatem revelatam approbationis. Hoc sensu nostri non recusant uti *permissionis* vocabulò cum Scriptura; Quòd si quando illud rejiciunt, ut Calvinus, Beza, & alij, eam intelligunt sensu Pelagianò de otiosa permissione, quæ Deum jure suo exuit, & idolum liberi Arbitrij in ejus locum erigit. Unde Beza in libello Quæst. & Respons. ait: *Si permissionis vocabulò intelligatur illud discrimen, quoniam videlicet in malis non agit Deus, sed eos Satana, & suis cupiditatibus permittit, id minimè repudio.* Sin verò *permissio opponitur voluntati*, hoc ut *falsum & absurdum* rejicio; *falsum esse ex eo constat, quòd si Deus quippiam invitus permittit, Deus certè, id est, Omnipotens, non est; sin verò quasi non curans permittere quippiam dicatur, quantum absimus ab Epicureismo?* Superest ergo ut *volens permittat quod permittit.* Voluntas igitur permissioni non opponitur. Quamvis enim ipsa permissionis ratio formalis in non efficientia consistat, adeòque negativè se habeat, id tamen non potest fieri per meram volitionis negationem, sed

B necessa-

necessariò hîc aliquem actum positivum volitionis divinæ intervenire oportet, ita ut Deus dicendus sit nolle istam rem facere, nolle etiam impedire, adeòque velle permittere. Ex eo igitur patet, Voluntatem permissioni non esse opponendam, cum permissio cum voluntate conjuncta capi debeat, & Deus, dum peccatum permittit, velle peccatum permittere, sit dicendus; sive quod idem est, *velle peccatum evenire se permittente*, quâ phrasi aliqui Theologi utuntur, atque adeò censendus est, *velle peccatum evenire*, sive, quod eodem redit: *Velle eventum peccati*. Quâ occasione probè quoque animadvertendum est, quamvis commodò sensu dici possit, *Deum velle fieri peccatum*, præstare tamen, ab hoc loquendi genere abstinere, quò dicitur; *Deum velle peccatum*. Valdè enim differunt, *velle malum*, & *velle malum fieri* aut evenire. Velle malum is propriè dicitur, qui malo delectatur & gaudet, qui malum probat, cui malum placet. Sic propriè Diabolus vult malum, sic volunt peccatum homines dediti suis cupiditatibus, in quibus peccatum regnat, & qui sic ex uno scelere in aliud proruunt. Generatim loquendo sic volunt peccatum omnes creaturæ rationales, ab officio suo & debito deficientes, quamvis regeniti non plenò animò, sed cum lucta aliqua illud velle sint dicendi. At velle malum permittere, sive velle malum fieri, est nolle illud efficere, & simul nolle illud ipsum impedire. Velle peccatum est facere peccatum, volendo enim fit peccatum, Deus autem peccatum non facit: Verùm velle peccatum fieri non est facere peccatum; Sed est, tum velle negare bonitatem majorem & ulteriorem perfectionem malo & imperfectioni oppositam; tum velle fieri illud ab altero, dum eum nec impedis à peccato cum impedire possis, nec tamen illud ipsum peccatum efficis: (hæc enim duo simul & conjuncta ad permissionem peccati requiruntur,) quò sensu hîc ista phrasis est accipienda. Aliud est ergo velle ipsum peccatum, aliud verò ejus permissionem & eventum; *posterius* dicunt Calvinus & nostri Doctores cum Scripturâ loquentes, non *prius*. Et ex eo non sequitur Deum ab ipsis statui Authorem peccati: Quia is demum potest censerî Author peccati, qui decernit, & vult peccata quoad effectiorem & approbationem; non verò quoad permissionem & ordinationem tantùm.

### THESIS III.

*Sed ex pu-  
ro ipsius*

Non sufficit dicere, Deum permittere peccatum, nisi intelliga-

intelligatur, imò & expressè declaretur, illum peccatum per-  
mittere non ex coactione, vel invitum; (Deus enim est li-  
berrimè agens, contra quem nulla vis aliquid potest,) sed  
certò quòdam & deliberatò consiliò voluntatis suæ arcanæ  
ἐὐστοίας, seu beneplaciti, quâ ex malis bona elicit, quæ tu-  
rius est admiranda, quàm curiosius rimanda. Justus Lo-  
thus in sua anima doloribus angebatur acerrimis præ aspe-  
ctu scelerum enormium & horrendorum Sodomæ domi-  
nantium; Et dici potest, illum scelera illa permisisse, eo  
quòd mediis & potentiâ impediendi ea caruerit, quàmvis  
eorum impunitatem & atrocitatem non sine maximò dolo-  
re passus sit. Sed dici nullò modò potest, felicitatem Dei  
viventis, qui est ἀπαθής, perturbari posse aspectu scelerum,  
quibus terra est repleta: Etenim divinitas, apud quam non  
est transmutatio, & ne quidem conversionis obumbratio  
obtinere locum, planè omnis est expers passionis. Dolor  
propriè sic dictus repugnat summæ ejus perfectioni & bea-  
titudini, quæ ut nullâ boni accessione augeri, sic nec ullo  
mali sensu contingi ac violari potest. Unde sine ulla dif-  
ficultate dicere possumus: Deum peccatum velle cùm fit,  
id est, illum neque esse coactum pati ut fiat; neque il-  
lud teneri impedire, ne fiat; Deum peccatum permit-  
tere permissione physicâ, non exerentem vires, quæ po-  
terant actu impedire ne illud fieret, & hanc permissionem  
esse effectum meri ipsius beneplaciti. Ad hoc nostri Adver-  
sarij ex Communionem Romanam, perincommodè clamantes,  
dicunt: Ex nostra doctrina de permissione Dei circa pecca-  
tum necessariò sequi, Dei oculos in aspectu peccati delecta-  
ri; Deum iniquitate delectari; atque adeò etiam velle ini-  
quitatem; & per consequens illum ipsum esse Authorem  
peccati. Bellarminus & Pontificij id nobis impingunt, tan-  
quam re ipsa ita sentientibus, quàmvis verbò id profiteri  
non audeamus. Sed hæc futilia sunt verba, non vera, sed  
falsa, & impia: Crassa est & detestanda calumnia à menda-  
cii Fautoribus tantùm nobis impacta. Id enim neque ore  
profitemur, neque mente sentimus, & à corde nostro est alie-  
nissimum; Quàm longissimè absunt omnes ejusmodi blas-  
phemix, non tantùm à linguis, sed etiam à cogitationibus  
nostris. Nam etsi Deus velit peccatum, peccatum vult vo-  
luntate permittentis, non verò voluntate approbantis. Ideò-  
que beneplacitum Dei in hoc negotio intelligitur relatè ad  
permissionem, quia placet Deo permittere, non verò relatè

*beneplaci-  
to peccati  
initium &  
progressum  
patitur.*

ad peccatum, quod Deo displicet admodum, quod odio ha-  
bet, & severissimè punit. Denique quicquid dicant Adver-  
sarij, quicquid calumnientur, necessariò tamen nobis fateri  
debent, Deum non modò videre peccati productionem, sed  
& novos progressus, quos quotidie facit; imperij hujus lon-  
gè latèque patentis amplitudinem, omnesque ejus trium-  
phos; quamvis reapse hoc ipsi tamen nullum dolorem creet:  
Sed contrà, cum permissio, quam illi hosti suæ gloriæ, omnes  
suos progressus facienti, concedit, certissimè venerandæ  
ipsius sapientiæ congruat. Illi enim hosti suæ gloriæ hanc  
permissionem concedit, non voluntate quidem *ivæçisias*,  
quæ à Theologis refertur ad voluntatem Præcepti, quæ &  
Approbationis & Complacentiæ dicitur: Sed voluntate  
*evd'oni as*, seu beneplaciti, quæ respondet voluntati De-  
creti, quæ & voluntatis Arcanæ nomine venit; adeòque  
non est voluntas approbans, multominùs præcipiens, tan-  
quam rem gratam sibi, & in qua sibi complaceat: Sed po-  
tentissimè ita decernens; sapientissimè ita ordinans; & san-  
ctissimè ita dirigens ad manifestationem suæ gloriæ, gloriæ  
videlicet ipsius justitiæ, quâ punit; misericordiæ, quâ igno-  
scit; & sapientiæ, quâ mala in bonum vertit. In hac thesi  
appendicis locò apprimè distingui quoque debet id, quod  
Deus suâ providentiâ permittit, permissione videlicet de-  
cretivâ, seu voluntatis arcanæ, ab eo, quod homines in mari  
navigantes, & in periculo naufragij versantes sæpè permit-  
tunt, permissione quâdam coactionis. Si enim merces, &  
pretiosissima, quæ in navi habent, in pelagus projici, & flu-  
ctibus mandari permittunt, id fieri ideò permittunt, quia,  
idoneis mediis se destitutos videntes, quibus à majori da-  
mno se tueri possint, id minus malum permittere aliquò  
modò coacti sunt, ut majus malum vitent. Probè obser-  
vandum hîc, dico aliquò modò coacti sunt, non omnimodè  
& absolutè, quia id permittunt ex metu instantis naufragij  
coacti, liberè tamen ex desiderio vitam conservandi, atque  
è naufragio liberandi. Ideòque est illa coactio, non *coactio*  
*proprie ita dicta, & absoluta*, quâ vis infertur libero Arbitrio, vel,  
quæ vim infert membris contranitente voluntate: Sed *im-*  
*propria & secundum quid*, quæ cum libertate conspirat, & ne-  
cessitatem tantùm infert conditionatam, non verò absolu-  
tam: Illa vi cogit; Hæc lenissimè svadet: Illa voluntati,  
quæ cogi nequit, absolutè & omni ex parte est contraria;  
Hæc verò voluntati non absolutè repugnat, quia libertatem  
non

non tollit. Et ista coactio, (si rem aliquantò accuratiùs considerare velimus) potius *actionis invitæ*, quàm *coactionis* nomen meretur. Nam istiusmodi coactio, (ut memoratò jam exemplò utar,) quâ videlicet mercator, tempore periculosæ navigationis, merces, quas retinere mallet, si sine dispendio vitæ, atque adeò majoris damni fieri posset, in mare ejicit, non absolutè repugnat voluntati, quin imò voluntatem aliquam supponit. Est *actio mixta*, ut Ethici illam denominant, quæ participat coactionem, & simul etiam voluntatem, etenim libertatem ad utrumque relinquit. Repugnat ea quidem iudicio absoluto, non verò comparato, atque adeò tollit voluntatem absolutam, quæ tantùm fertur in id, quod absolutè & omni ex parte est bonum; non verò voluntatem comparatam, quâ inter duo ingrata & tristia eligit, atque præfert id, quod minùs triste est & ingratum. Et hæc coactio dicitur *coactio ex parte*, quâ actio redditur invitata, contradistinctè ad *coactionem plenariam*, quæ fit reluctante planè voluntate, locumque demum habet ubi membris externis vis infertur, ne obsequantur voluntati. Ita cogitur in carcere manere, qui in eo est conclusus. Ita cogitur sedere aut jacere, cujus pedes compedibus sunt constricti. Hæc autem coactio cum voluntati planè repugnet, in eam cadere nequit; Unde omnium consensu, *Voluntatem non posse cogi*, statuitur.

#### THESIS IV.

Qui dicunt, Deum simpliciter permittere peccati productionem, omnesve ejus progressus, non positivè affirmant eventum hujus productionis, & horum progressuum esse quoad tenus *necessarium*, & omnimodè certum, tum *quoad sui futuritionem*, tum *quoad modum*, quò fit & producitur: Et tamen est veritas, quæ in dubium vocari nequit; sed necessariò est affirmanda. Permissio enim ipsa, quatenus in se & naturâ suâ spectatur, non ponit actum vel habitum permissum, adeòq; nec ponit ipsum peccatum, quod ei sive habitui sive actui adheret. Neque ex permissione solâ sequitur, rem permissam existere. Permissio quidem ponit rem permissam ex natura relationis, (non enim est permissio nisi rei permissæ;) at propterea non existit res permissa; sicut volitio ponit rem volitam, at non ponit rem volitam existere, si tantùm spectetur ut volitio, sed tum demùm si vel sit volitio divina, adeòque infinita, vel si

*Quomodo  
ratione  
decreti di-  
vini pec-  
cata fiant  
certò?*



vel si actiones etiam reliquæ, quæ ex volitione oriuntur apud homines, sint conjunctæ. Potest igitur aliquid permitti, quamvis non fiat; cum permittere nihil sit aliud, quam, neque facere ut aliquid fiat, neque ne fiat impedire. Quod si ex permissione solâ sequeretur, rem permissam existere, non modò ex Permissione Dei, sed etiam ex permissione cujusvis hominis sequeretur, rem permissam eventigio existere, quod utique absurdum est, & experientiæ repugnat. Inter omnia scelera, quæ unquam ab hominibus fuerunt commissa ac producta, gravissimum, sceleratissimum, & maximè horrendum fuit illud, quod Herodes, Pontius Pilatus & Judæi patrarunt, cum Principem gloriæ Christum Jesum cruci affixerunt. Id scelus perpetrantes illi impij, nefarij illi homunciones nihil tamen fecerunt, quam quod manus Dei, consilium atque decretum ejus efficax jam antea determinaverat fieri. Act. Cap. IV. v. 28. Spiritu Sanctò teste. Ità cum Apostolis loqui, sine dubio plus est, quam simpliciter dicere; Nihil fecerunt, quam quod Deus fieri permiserat. Addendum est, quòd, vi illius decreti, quod Deus in æterno suo Consilio determinaverat de permittendo scelere illo maximo tempore præstitutò, fieri non potuerit, quin Rex gloriæ cruci affigeretur. Vel enim neganda est Efficacia Decreti divini, & certa ejus præscientia, vel, cum hoc fieri non possit, nisi negatâ Dei Independentiâ & Omniscentiâ, adeoque negatò ipsò Deo, asserendum est, positò Dei decretò de Crucifixione Christi à Judæis impetrandâ, à Pilato imperandâ, & ab ejus satellitibus & ministris executioni mandandâ, non potuisse, quoad eventum, omnes istos homunciones aliter velle, quam peccatum istud committere, & quidem secundùm modum illum à Deo in æterno ipsius consilio determinatum. Sed sic tamen volentes liberè peccarunt, neque Necessitas ista, quæ tota dependet à Causa Suprema & Prima, mutat Causam Secundam Liberam in Naturalem & Necessariam, quæ *Necessitatem coactionis* supponit, cum nullam vim inferat, non intrinsecè necessitet ad unum, & quamvis actus hosce certos ponat, non tamen tollit potentiam ad contrarios, eò ipsò, dum non tollit voluntatem, adeoque nec libertatem, sed potius ipsam voluntatem ponit. Neque tollit peccatum ab actu voluntatis, cujus utique peccans sibi est intimè conscius, quæ intima conscientia summam certitudinem ponit. Conscijs autem est sibi peccans, se non invitum, non nolente animo id ipsum quod  
peccatum

Quomodo  
sunt  
decreti di-  
-m  
-m  
-m  
-m

peccatum est, committere, sed lubente animò, sed cum delectatione: nullam vim sentit sibi contra voluntatem inferri, sed se peccare per voluntatem conscius sibi est. At sanè qui sic peccatum committit (quicquid sit de ordinatione divina, cum ab illa sibi nullam vim inferri sentiat, nec se invitum trahi quò nolit) ejus sanè Author summò jure est dicendus.

#### THESIS V.

Quod Regum sapientissimus de Regum corde dicit, *Dèus peccatum ad bonum dirigit.* nempe: Cor Regum esse in manu Jehovæ, & qui id instar rivi aquarum inclinet, quocunque velit, Prov. Cap. XXI. v. 1. de Regum animis debet intelligi, non exclusivè tamen ad cæteros homines. Nam & omnium corda regit, ceu patet ex sequenti versu. Confer etiam Prov. Cap. XVI. v. 2. 9. & Cap. XIX. v. 21. hoc & Jeremias agnoscit, Cap. X. v. 23. Cum *Aqua*, Regis, ut & cæterorum hominum, animus, eleganter comparatur; & hæc comparatio nobis parumper erit ponderanda. (a) *Fluida* semper aqua & in continuo motu est: ità & anima semper actualis, est in continuo negotio, semper aliquid agit, cogitat, deliberat. (b) *Aquis non idem semper motus*, sed dissimilis sæpè fluxus est: sic & in corde non eadem semper cogitationes; non eadem, sed diversa, imò contraria sæpè consilia sunt; exiguo momentò huc illuc impellitur. Hinc Prov. Cap. XIX. v. 21. *Varie sunt in corde hominis cogitationes, ast consilium Jehovæ est permanens.* (c) *Aqua fluiditate suâ terram penetrat*, ità ut fundum metiri, ejusvè originem explorare nequeamus: ità & hominis animus. Jer. Cap. XVII. v. 9. (d) *Aqua fluida cum sit, facile huc illucvé duci potest.* Notum enim est aquam aditu apertò sequacem esse; nec tantùm in præcipitio & declivi locò certatim & magnò impetu ferri; sed etiam arte humanâ effici, ut ex imis terræ partibus in acclivia & prærupta loca cogatur ad aquationis commoditatem, reluctantè naturâ, ascendere, sacra & prophana historia testantur. Ut ipsum *Euphratem* amplissimum & totò orbe celebratissimum flumen, à Persis & Medis aquarum derivationibus exhaustum & desiccatum fuisse, historiæ referunt. Sic & Deus Cor Regis & omnium hominum, sit fluidum, varium, profundum instar aquæ, tamen *facillimè* imò minimò oculi nitu impellere, & pro voluntate dirigere novit; illud *inclinare*

*nare* scit, & quidem *quocunque vult* ad executionem Consilij sui. Est hæc Dei inclinatio, (α) non *moralis suasio*, quâ promissis & minis externè allicit solummodò Deus, ut David populum inclinabat 2.Sam.Cap.XIX.ψ.14. Concubinæ Salomonis animum inclinabant post Deos alienos. 1.Reg.Cap.XI.ψ.2,3,4. & ut meretrix juvenem. Prov.Cap.VII ψ 7--21. (β) Nec est *violenta coactio*, quâ Deus internè ipsam voluntatem cogit: ut lignum & stipes vi inclinantur. Deus enim operatur in creaturis convenienter conditioni ipsarum, sive contingentes fuerint causæ, sive necessariae, rationales & liberae, sive irrationales, naturam Deus inclinando non destruit, sed conservat & tuetur. (γ) Sed hæc inclinatio est actuosa Dei gubernatio ac directio, quâ creaturæ omnes, in specie homines, eorumque consilia & actiones cujuscunque generis sint sive bonæ, sive malæ sint, à Deo potentissimè, sapientissimè & sanctissimè suis terminis definiuntur, & in fines à Deo constitutos diriguntur, secundum æternum ipsius beneplacitum & propositum. Non sufficit ergo dicere, Deum peccatum permittere, nisi agnoscatur sapiens illa Dei ordinatio, & efficax peccati in fines suos directio, dum præter peccati naturam, & peccantis voluntatem, pro sapientia & potentia sua malum in bonum convertit, & ad bonum finem dirigit & deducit. Ut in Venditione Josephi, & Crucifixione Christi liquet; in actionibus illis horribilis fuit ἀταξία quoad consilia hominum; sed sapientissimus ordo quoad Dei decretum, qui, ut è tenebris lucem, & è malo bonum elicit, ita eventus istos dispensare voluit ad manifestationem gloriæ suæ, & familiæ Jacobi, & Ecclesiæ salutem: nihil quippe hîc præstitum, quod *manus & consilium Dei jam antea non decrevisset fieri*, Act. Cap.IV.ψ.28. *Vos cogitaveratis in malum, (inquit Josephus fratribus suis, Gen. Cap.L. ψ 20.) sed Deus cogitavit illud in bonum convertere, &c.* Hinc dicuntur *Cogitationes Dei, non ut cogitationes nostra, nec via ejus, ut via nostra*, Esaj. Cap.LI. ψ.8. Et hîc meritò, si uspiam alibi, cum Apostolo exclamare licet: ὁ βᾶθρος πλάτους καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ. ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κείμενα αὐτοῦ, ἢ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. Rom.Cap.XI.ψ.33. In eo sapientissimum Dei consilium, & virtus Dei admirabilis elucet, quòd creaturarum peccatis præter earum intentionem ad bonum finem utitur; non faciendo malas creaturarum voluntates vel actiones, sed eas ad bonum finem ordinando. Qualiscunque igitur sit

tur sit

tur sit Dei actio circa peccata, manet tamen semper providentia sancta & immunis ab omni culpa, ut radij solares non inficiuntur, licet in sordes, aut cadaver influant. Et si quando idem opus Deo, Diabolo & impiis tribuitur, ut Josephi Venditio, Induratio Pharaonis, Jobi Calamitas, Deceptio Achabi, Numeratio Populi, Mors Christi, diversimodè tamen omnibus adscribitur; Deo quidem, ut sanctissimum opus, quia à bono principio ad bonum finem tendit. Diabolo verò & hominibus, ut pessimum, quia à malo principio, malis mediis, ad malum finem tendit. Sic opus, quòd Assur Deo mandante peracturus erat in abductione populi, bonum fuit respectu Dei, qui hanc ratione voluit populum suum castigare, ideò dicitur: *Virga furoris Dei, cui mandatum est ab ipso, ut spoliet spolia, & ut ponat populum conculcationem, ut lutum platearum.* Sed respectu Assyrij malum, quia non alium finem sibi propositurus erat, quàm populi excidium, & cupiditatis suæ expletionem, *El. Cap. X v. 6, 7. Ad gentem impiam mittam eum, &c. Ipse autem non sic existimabit, nec cor ejus ita reputabit, sed ad perdendum se missum putabit in corde suo, & ad excindendum gentes non paucas.*

#### THESIS VI.

Animo fingamus hominem, qui anguem, vel sub herba latentem, vel in cavo quodam absconditum, detegit, qui illum verberibus excipit, & movet, ut, è cavo erumpentem, vel ex herba extantem, commodius conterat: Sic & providentia divina versatur circa productionem peccati. Peccatum in corruptione nostræ naturæ est absconditum, ut Basiliscus in cavo suo; sub illa latet, ut Anguis sub herba: Agitur enim hinc de peccato actuali, quod præsupponit naturam corruptam; contradistinctè ad peccatum primum, quod præsupponit naturam integram. Providentia Dei peccatum in lucem quasi protrahit, ut postea puniatur, & conculcetur, atque ita gloria justitiæ ipsius manifestetur. Observate autem peccatum Deum in apricum producere, non ut legislatorem, sed ut supremum Dominum & mundi Rectorem, qui rerum omnium eventus pro arbitrio regit & moderatur: *Actiones malas physicè dirigendo, non moraliter suadendo; voluntate Beneplaciti, quàm justus Judex est peccatum severissimè puniendo; non voluntate Complacentiæ & Præcepti, quàm Legislatores est imperando & approbando.*

*Corruptionem patefacit, ut postea eos, qui motus illius sequuntur, puniat.*

C Hæc

Hæc in apricum productio ut actu appareat, non est tractio violenta, sed ejusmodi, quâ quemque dicitur trahere sua voluptas, nec infert necessario, ut is, qui illud sic producit, sit peccati Author, modò illud non approbet, non suadeat, non delectetur eo. Sic cum Turcâ fœdus pacis pangens Imperator, dum exigit juramentum, quod Turca per Muhammedem præstat, procurat istud juramentum, quod reverâ peccatum est, cum fiat per Creaturam, nec tamen potest argui, ac si istius peccati esset Author. Huc referre possumus, quod dictum est a Rennechero: *Impios occultâ Dei virtute & directione etiam nescios trahi arcanâ vi, tanquam occulto fune, ad fines, quos minimè spectant, occultè à Dei manu sine ullò proposito & conatu ad finem incognitum tanquam sagittas dirigi.* Quod clarissimè docet Esajas Cap. X. v. 5, 6, 7. *Vae Assur, virga ira mea, & virga, quæ in ipsorum manu est, severitas mea est. In gentem hypocriticè agentem mittam ipsum, & in populum excandescentiæ meum præceptis meis inducam illum, ad spolia agendum & direptiones faciendas, & ut ponat illum conculcationem, ut lutum platearum. At ipse non sic proponet, & cor ipsius non sic cogitabit: Sed profligare erit in corde ipsius, & excindere gentes non paucas.*

**Conclusio.**

Hæ Theses duos egregios usus exhibent, qui conclusionis locò à nobis erunt considerandi.

I.

**Primus effectus.**

Facilitatem nobis creant maximam, diversæ Sacrae Scripturae loca, in quibus expressiones *durissima* reperiuntur, commodè explicandi. Ex. gr. quando Deus dicit: *Cor Pharaonis se esse induraturum.* Ex. Cap. VII. v. 3. Sanè quid hujus loci interpretationi minùs conveniens posset excogitari, quàm, illum de nuda permissione interpretari velle, huncq; sensum illi tribuere? Permittam, ut cor Pharaonis induretur. Et quando David de Semejo dicit: *Sinite eum mihi maledicere, Jehova enim ei dixit, maledic David,* 2. Sam. Cap. XVI. v. 10, 11. Hanc jussionem de nuda ac simplici permissione commodè exponi posse non video: Ut satisfiat igitur sensui Scripturae, debet necessariò exponi, ut exponit Augustinus: *Dominus dixit Semejo, maledic Davidi, non jubendo, ubi obedientia laudaretur; sed quod ejus voluntatem proprio vitiò suo malam in hoc peccatum justò suo judiciò & occultò inclinavit.* Ità quòd Deus (1. Reg. Cap. XXII. v. 22.) mittere dicitur Spiritum mendacem ad decipiendum Achabum, non est approbantis, neque etiam simpliciter


pliciter permittentis, sed permissione physicè directivâ efficaciter ordinantis ad impij Regis pœnam; non enim Spiritui isti mendaci indidit libidinem mentiendi, sed cupido illi, & operam suam offerenti habenas laxavit, exhibuit occasiones malitiam suam exercendi, permisit ut mentiretur, eaquæ omnia, ad impium illum Regem puniendum, sanctissimè direxit. Impossibile est, hosce textus, & innumera alia Scripturæ loca, explicare, simpliciter dicendo: Nullum dari peccatum, quod non fiat Deo illud permittente.

## II.

Alter usus & effectus harum Thesium in eo consistit; *Secundus effectus.* quòd, cùm nostri Adversarij Bellarminus & Pontificij, qui tantò calumniandi œstrò perciti in nostros Doctores, Calvinum & Bezam, & alios Viros in Ecclesia meritissimos, invenuntur, nos accusent, Deum peccati Authorem facere, suam accusationem, dicamné? ut rectiùs & veriùs eloquar, suam calumniam ipsissimis hisce expressionibus, quibus Spiritus Dei in Sacris Literis uti voluit, confirmare velint; & cùm hanc veritatem absolutè negare non possint, & homines θεοπυστοις, qui divinorum horum oraculorum fuere Scriptores, hujus impietatis & blasphemiae accusare non audeant, dicunt isti Doctores, non minùs mentientes, quàm calumniantes, hasce expressiones alium habere sensum in Scriptis Prophetarum, & alium in ore nostrorum Doctorum, & sensum Prophetarum illum ipsum esse, quem Ecclesia Romana sequatur, & verbò profiteatur. Sed hoc falsum declaratur, refutatur, & planè destruitur plenâ & omnimodâ certitudine Thesium, quæ in hac dissertatione comprehenduntur.



*Ad*



*Ad*  
REV. DN. CANDIDATUM.

I.



*Impectam nobis maculam, Doctif-  
sime, deles,  
Tarpejumq; doces fallere posse fo-  
vem.*

*Quin simul & falli. DEUS est purissimus:  
olim*

*Ostendet, tenebris lucis inesse nihil.*

J. J. HOFMANNI, P.P.



II.

*D*Um tu tam magni felici acumine Docti,  
Docte causam agis, & suscipis atque probas.  
Ingenium Tu grande doces animique reposta  
Te magnæ Laudis præmia magna manent.  
Te quivis doctumque legens laudatque laborem,  
Miratur dotes, quisquis abundè tuas.  
Quis dubitet quæso, cernit cum talia de Te?  
Olim Te magnum nomine fore Virum?  
Quod voveo, multumque precor tibi, omnia læta.  
Fac fias Pastor, & pius atque potens.

*Sic æterna memorie ergo precatur*

M JOH. CASPARUS SERINUS, SS.M.C.

F I N I S.





SLUB DRESDEN



3 2316650

Coll. diss. B.4

